



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum  
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de**

**Coloniæ Agrippinæ**

45. De necessarijs ad iustitiam contractus huius secundum se.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40916**

pecuniarij licitus est: & ratio est, quia fructus rei, sunt aestimabiles pecunia: sicut ergo licet dare fructus, ita etiam licet dare pecunias pro redditu. Hæc sunt, quæ ad iustitiam contractus huius pertinent, si secundum se, & suam naturam considerentur.

*De necessarijs ad iustitiam contractus huius  
secundum se.*

CAPVT XLV.

**A**liqua sunt necessaria, ut emptio, aut venditio censu, etiam secundum se, licita sit.

Et quidem ad censum perpetuum, tam redimibilem, quam irredimibilem, hæc necessaria sunt.

Primum est, ut verè sit apud venditorem res illa, cuius fructus venduntur; aliàs enim esset fictus contractus, ob id iniustus, & usuræ proximus, immodò verò usura, ut vult Pius V. in bulla citata.

Secundum, ut reddat verè illos fructus, in quos ius emitur. Si enim non reddit tot, quot venduntur, iniusta est, quia venditur, quod non est, aut minus eo, quod est: unde, ut in eadem bulla decernitur, supra rem non reddentem fructus, saltè tot, quot venduntur; aut reddentem quidem, sed alijs censibus venditos, non licet nouum imponere censum. eadem ratione quia ficta est emptio.

Tertium, ut si res illa pereat, vel fructus eius pereant, absque culpa venditoris, tunc emptor non possit percipere fructus: cum enim sit emptio quædam, iste contractus debet leges obseruare emprionis: in emptione autem, si res emptæ perit, damno emptoris perit. Cum ergo venditor ius in fructus rei suæ vendiderit, qui emit, debet suo emere periculo: cum enim fructus perit, ius in fructum etiam perit: idemque censendum est, si res minores facit fructus.

Quartum, ut pretium sit iustum.

Ad iustitiam autem præcij sunt computanda ista, quantitas fructus venditi; ut, si sunt decem, aut octo, aut quinque: plura autem magis valent.

Rursus perpetuitas: nam octo perpetua singulis annis, et si pactò redimendi, magis valent, quam decem tempore, aut cum pacto redimendi; sicut res emptæ absque pacto.

retrouendendi, magis valet, quam cum pacto retro-  
dendi.

Rursus, certitudo fructuum; minus enim valent decem in-  
certa, quam octo certa: vnde, quò magis fructus sunt firmi, &  
securi, eò maius debet esse pretium, quo venduntur.

Quintò, qui emit censum, non debet obligare vendi-  
torem, vt redimat, seu recemat: nam tunc videtur mutuum vi-  
tuale cum lucro, postquam percepit emptor fructus, saluo ca-  
pitale. Quamuis autè hoc quintum non sit simpliciter neces-  
sariũ ex sola natura rei, quia adhuc cũ tali obligatione differt  
iste contractus à mutuo; cùm in censu emptor subeat periculum  
perdendi capitale, si pereat res, supra quam est census; in mu-  
tuo autem hoc periculum non sit, tamen iudicandum est neces-  
sarium, quia alias esset periculosus contractus: ob id,  
ab omnibus Doctõribus obseruandum in tali contractu pon-  
nitur.

Ista sunt quæ ad iustitiam huius contractus necessaria sunt,  
si secundum se iudicetur contractus.

Non tamen necessarium est suapte natura, vt sit aliqua res  
certa, & signata, cuius fructus vèdantur: nam sicut quis potest  
vendere ius in fructus cuiusdam rei suæ; ita etiam potest ven-  
dere ius in fructus totius rei suæ: quamuis frequenter modo  
soleat certa res signari; immò debeat ex decreto eiusdem P. v.  
qui vult, vt res censui subiecta nominatim certis finibus deli-  
gnata sit.

Rursus, non est necessarium, vt venditor in censu redimi-  
bili habeat facultatem redimendi censum, reddendo pretium  
per partes: nam sicut licitus est contractus, cum quis vendit  
cum pacto retrouendendi, vt totum pretium, & non per partes  
reddat, ita etiam in censu; quamuis posset fieri illud pactum  
sic redimendi; sed tunc pretium, quo census emitur, decre-  
re debet, sicut decresebat, cum apponebatur pactum retro-  
uendendi. Nec obstat huic, quòd in extrauag. Martini, & Ca-  
lixti apposta est conditio redimendi etiam per partes: nam

Pontifices non dixerunt id esse necessarium, sed  
contractum cum tali conditione narratum  
approbarunt, oppositum tamen  
non damnantes